

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0857
	0855
	0861
	0851
284	0866
Septimus rex Jerusalem.	0846
Almarico VI. rege Latinorum Jerosolymis defuncto successit illi in regno Balduinus ejus nominis quartus, ipsius filius. Erat autem annorum XIII, tempore quo pater ejus obiit et sexannis regnavit in Jerusalem. Hic vivente patre, cum esset annorum novem, deprehensus est in morbum elephanticum incurrisse. Quidam enim scribunt, eum ab infantia lepra fuisse infectum, et licet gravatus infirmitatibus esset, regnum tamen constantissime ac prudentissime gubernavit. Nam Saladinum fortissimum ac industrium virum duobus devicit proeliis, uno saltem apud Ascalonem, altero apud Tyberiadem. De quibus proeliis longa habetur historia contexta.	0906
Porro anno Domini 1178. Saladinus cum suis copiis iterum regnum Jerosolymitanum ingressus est, quod postquam regi innotuit, suis convocatis contra inimicos fidei processit, in quo congressu multi de nostris gladio corruerunt, et dominus Addo, magister templi, captus fuit et in carcere obiit et multi alii capti fuerunt, rex vero cum paucis vix evasit. Hac victoria elatus Saladinus infinita damna eo anno regno intulit. Tandem autem quibusdam intercedentibus inter Christianos et Saladinum treugae factae sunt ad biennium. Rex ergo Jerusalem Balduinus invalescente infirmitate uxorem ducere noluit et nec filios nec filias habuit, sed duas sorores, quarum maior natu vocabatur Sibylla, quam tacitus regni haeredem fecit eamque Gwilhelmo cognomento Longaspata, filio marchionis Montis ferrati, uxorem dedit. Hic Gwilhelmus jussu regis Balduini multa contra infideles viriliter gessit eratque vir nobilissimus, adeo, quod in nobilitate parem non habuit. Nam mater regis Francorum, Philippi, germana ipsius fuit, mater vero ipsius (B) Gwilhelmi soror fuit domini imperatoris Conradi, sed post tres menses consummati matrimonii dictus Gwilhelmus decessit, uxore praegnante dimissa, quae dum tempus partus advenit, filium edidit, quem Balduinum nominavit. Dominam autem Sibyllam, iam dictam sororem suam, rex tradidit nobili juveni, Guidoni Lusignano, parvulo filio, nepoti suo, consulturus, quem ipsi Guidoni ac Raymundo, comiti Tripolitano, in tutelam dedit hac lege, ut dum Balduinus	0806
	0956
	0756
	0356
	Ende
	Anfang